

le hominibus eo non uti, adeoque veraces esse, ut verba pro juramentis habeantur. Et perhibet Josephus, Essenos perjurio pejus credidisse juramentum; quod is jam videretur esse condemnatus, cui sine Dei testimonio fides non adhibebatur. Cumque idem statuere vellet Maimonides, verba ipsa Christi usurpavit. Sed redeamus ad Pythagoram, cujus decreto tam constanter steterunt ipsius Discipuli, ut quidam ex illis litium talentorum cadere maluerit, quam rem veram jurejurando affirmare. Syllus appellatur ab Jamblichio, Clinias à Basilio. Dei nomen ita reveritus est Socrates, ut jocos suis illud omnino non interponeret: quod & tenuit Plato, cum vetaret vel leviter contaminari Dei nomen; imo, omne prorsus juramentum abesse juberet: tenuerunt & Stoici Philosophorum omnium religiosissimi. Juramentum igitur vel nunquam adhiberi volebant, vel quam minimum, & gravibus quidem de causis, pro patria, parentibus, amicis periclitantibus; nunquam vero pro bonis atque fortunis; vitamque & mores ita instituendos, ut essent pro juramento, fidesque injuratis tribueretur, quemadmodum Athenis Xenocrati: quod Stoici ex Solone & Pythagora, ex Stoicis complures sumserunt. Modum eundem adhibet juramento Isocrates in Admonitionibus ad Demonicum, in quibus jurisjurandi concedit usum, vel ad calumniam à se, vel ad pericula ab amicis propulsanda; minime vero ad pecuniam conservandam. Flamini Diali apud Romanos jurare non licebat; quippe fidem ei derogare, cui maxima sacra edita essent, fas non esse putabant. Tota Phrygum gens abhorruit à juramentis, nec exigentes ab aliis, nec aliis ipsi præstantes. Inter Adagia Arabum celebratur illud, Jurandum nunquam, sermonem esse debere Etiam, vel Non. Quem morem servant quoque Siamenses Talapoini; plane juxta doctrinam Christi.

Joseph. de
bell. Jud.
1. 2. c. 12.

Maimonid.
Misa. l. 1.

Jambl. vit.
Pythag. c. 28.
Basil. Hom.
24. Plato de
legib. l. II.

CAPUT VI.

De cultu Idolorum.

ETSI priscis mundi temporibus, post lapsum in deterius genus humanum, perpauci de Deo uno, rerum omnium opifice, recta ac vera sentiebant; cæteri fere res creatas, cælum præcipue ac sidera habebant pro Diis, nulla tamen sibi eorum fingebant simulacra, quibus cultus suos exhiberent. Vere itaque pronuntiat Eusebius, apud vetustissimos homines, sive Græcos, sive Barbaros, nullam fuisse statuarum fabricationem.

Euf. Præp.
Ev. l. I. c. 9.